



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies  
Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Martianus Conf. 10. Ianuarii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

10.Ian. VITÆ SANCTORVM. 33  
homo solus super terram habitans, adeò nihil cura est ei  
gloria & ignominia. S.Chrysost.hom.52.in Acta.

S. MARTIANUS CONF. 10.Ianuarii.

**N**Ovit MARTIANVS maximæ Ædi Byzantii præpositus orationem, quò cælos & certius, & citius peteret, alatam reddere, creberrima illi jejunia & eleemosynas jungendo. Multus præterea in extruendis cœnobiis templisque fuit; monumentis, quæ ferè unica in mortali homine immortalia Devs probat. Plenam, quoties foras prodixit, manum circumtulit, cum vacuâ nullum à se inopem passus abire. Veste, quam diu vixit, non nisi unicâ semper usus, hac etiam, cum nulli ad manum nummi essent, se exuit, & egenum induit, sed divite lucro: quippe qui deinde cum seminudus pro arâ divinum cibum in populum partiretur, aureâ palam à cælo veste ornati visus est, ut planè jam quæstum quæsiisse, & pro paupere togâ meliorem ambiisse videri possit. Noctu porrò vigil pius urbem obambulabat, vel quibus tunc etiam benefaceret, egenos, vel quos lotos domi curatosque terræ mandaret, mortuos quærens; ex quibus non pauci revixisse inter studia tam sancta memorantur, & alterum vitæ parentem MARTIANVM salutasse. Jam grassantem in templum suum crudeliter flamمام medius ipse objecto Evangelicæ historiæ volumine stitit, precibus domuit, lacrimis extinxit. Secundum hæc aliaque mira, templo, quod ultimum ædificabat, & vitæ finem unâ imposuit. Ex Metaphraſte apud Surium.

Manducat Deus in celo panem, quem percepit pauper in terra. Da ergo panē, da potum, da vestimentum,

*da tectum, si Deum debitorem non Iudicem vis habere;  
nihil nobis nocebit in terra, si nobis in calo misericordia  
sit patrona. S.Pet.Chrys.42.*

## S. THEodosius ABB. II.Ianuarii.

**T**HEODOSIVM Cappadocem antrum ajunt incoluisse; rectius regiam dicerent: nam ad illud divertisse hospites primo itineris sui die tres Orientis Reges memorantur. Totus illi penus palma, cella fons fuit, deliciæ dactyli, herbæque, & lacrimæ. Interim fuit, cum centum & amplius mensas paucis panibus pasceret: alias, cum Martiani hospes esset, illeque panem sibi deesse quereretur, THEODOSIVS in barbâ Martiani granum hærere frumenti conspicatus, qui potes, inquit, queri, qui tot panes in barbâ circumfers? simul granum in granarium ablatum totum hoc complevit, & veluti angustias hujus accusaret, extra ostia se miraculumque effudit. Alias magno Paschatis die, cum nihil in cibum suppeteret, Numen THEODOSIO mulum submisit instructissimum cibariis, quâ re ille impulsus semper deinde egenis duplicavit pium stipendum. Jam mortis memoriam suis impensè commendavit. Eum in finem sepulchrum quandoque fieri iusfit, rogavitque ecquis eo tumulari vellet. Voluit Basilius quidam, qui mox suavissime excessit è vitâ, nec tamen in odeo sacro vel videri, vel audiri desiit. Prænobilis matronæ filio, dum inter pueriles ludos, lapsus in fontem cadit, absens THEODOSIVS, adfuit tamen spectabilis, &, ne aquis mergeretur innocentia, cavit. Vestis ejus cilicina militum Duci vicem loricæ fuit, & victoriam peperit. Sed & tibi contra hominem